

cum his, qui consanguineum vel consanguineam sui conjugis post matrimonium cognoverunt. »

(13. Quia tamen adducta privilegia non satis videntur probare, ex quo fuerint concessa solum vivæ vocis oraculo, et privilegia vivæ vocis oraculo concessa revocata sint a Gregorio XV, 2 Junii 1622, constit. incipient. *Romanus*, et ab Urbano VIII, 20 Decembris 1631, constit. incipient. *Alias felicitis*, ideo probatur efficacius ex privilegio Eugenii IV quod non vivæ vocis oraculo, sed per bullam concessit Benedictinis congregationis Casinensis 1436 pridie Kalendas Julii; et refertur in *Bullario Casinen.*, tom. I, constit. 36, quam etiam alii allegant doctores, præsertim Murga to. II *Disquisit. moral.*, disquisit. 1, dub. 13, n. 121. Et quamvis in præfata bulla expresse non contineatur facultas dispensandi cum incestuosis conjugibus ad petendum debitum, tamen Julius II expresse declaravit hanc potestatem vi dictæ bullæ Eugerianæ esse concessam, et suam ipsam declarationem notificari fecit a Ludovico S. Marcelli presbytero cardinali et maximo penitentiario, et officiali Papæ, et ab eo sigillo officii penitentiariæ subsignatam; quæ (teste Murga) authentico Casinensi bullario est inserta tenoris sequentis: « Nos igitur auctoritate domini nostri Papæ, cujus penitentiariæ curam gerimus, et de ejus speciali et expresse mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, ut tam vigore concessionis Apostolicæ prædictæ, quam verborum hujusmodi in illa appositorum, vos et pro tempore existentes dictorum monasteriorum abbates, priores, præsertim et monachi prædicti conjugatos hujusmodi, qui post contractum matrimonium consanguineas uxorum suarum cognoverunt, vel uxores quæ a consanguineis virorum se carnaliter cognosci permiserunt, a talibus excessibus absolvere et eis salutarem penitentiam injungere, nec non cum eis et eorum quolibet, ut, non obstante affinitate superveniente, debitum conjugale reddere et exigere valeant, dispensare libere et licite valeatis, ac possint ac valeant, perpetuo declaramus, in contrarium non obstantibus quibuscunque. »

(14. Nec valet dicere quod hæc declaratio sit facta seu concessa a Julio II solo vivæ vocis oraculo, et consequenter sit revocata per citatas constitutiones Gregorii XV et Urbani VIII. Non valet, inquam, quia, licet in citatis constitutionibus sint revocata privilegia solo vivæ vocis oraculo concessa, non sunt tamen revocatæ declarationes quæ vivæ vocis oraculo fiunt super privilegiis bullatis, quia tales declarationes nil novi concedunt, sed præcise quod jam concessum est declarant. (15. Tum quia Urbanus VIII ex post die, scilicet 11 Aprilis 1635, constitutione incipient. *Alias felicitis*, declaravit oracula vivæ vocis facta officialibus Papæ adhuc vigere et suam sortiri vim, ac si prædictæ duæ constitut. citatæ sub n. 14, quod ad illos non emanassent, ibi: « Motu proprio certa que scientia, ac matura deli-

beratione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine; officiales seu ministros prædictos, quibus alias ante emanatas prædictas constitutiones, ex officiorum suorum auctoritate et prærogativa, de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito, fides haberi solebat quoad ea quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium seu munus quo funguntur pertinent, in litteris etiam nostris prædictis, super revocationem oraculorum hujusmodi emanatis, minime comprehensos fuisse nec esse, nec comprehendere debere declaramus et decernimus, et ad abundantiore cautelam eosdem officiales seu ministros adversus easdem constitutiones, quatenus opus sit, restitimus et plenarie reintegramus in omnibus et per omnia, perinde ac si quoad illos prædictæ constitutiones non emanassent. » Cardinalis autem Ludovicus S. Marcelli erat tunc officialis domini Papæ, utpote suus maximus penitentiarius, ut patet ex propriis suis verbis adductis supra sub n. 14 in fine, adeoque oraculum vivæ vocis ei a Julio II factum adhuc viget, et remanet in plenaria sua vi et virtute, et consequenter, etc. (16. Tum etiam quia gravissimi auctores, teste Bassæo, tom. I, verb. *Privilegium*, n. 8, vers. *Quartum est*, tenent Gregorium XV et Urbanum VIII ea sola vivæ vocis oracula revocasse quæ non sunt confirmata per bullam alicujus pontificis ex certa scientia, sed plures Summi Pontifices ex certa scientia confirmarunt privilegia minorum etiam vivæ vocis oraculo concessa, uti S. Pius V, Gregorius XIII, Paulus V et signanter Clemens VIII, 20 Decembris 1595, constit. incip. *Ratio pastoralis*, sub § 3, ubi omnia et singula privilegia fratribus minoribus per Romanos Pontifices concessa, « etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo... approbat, confirmat ac innovat, perpetuamque roboris firmitatem obtinere et firmiter observari decernit. » (17. Unde cum talia privilegia sic confirmata et innovata jam in bullas transierint, teste Hurtado, apud Bassæum, *loc. cit.*, vers. *Quintum est*; licet omnia vivæ vocis oracula essent revocata per Gregorium XV et Urbanum VIII, ista tamen adhuc valere communis jam refert sententia, ut expresse dicit Bonagratia Habsensis in compendiosa *Summula in select. Qq. regular.*, verb. *Privilegium*, n. 420, § *Viri quoque gravissimi*.

(18. Confessarii regulares possunt valide et licite dispensare super impedimento petendi debitum ratione voti ante vel post matrimonium emissi, licet non sint ad hoc specialiter deputati a suis superioribus majoribus. Est communis. Et ratio est quia certum est quod confessarii regulares possunt vi suorum privilegiorum, absque ulla speciali deputatione vel licentia superioris, dispensari in votis: ergo etiam in impedimenti petendi debitum ex solis votis provenientes; nam si dispensandum tollere possunt, et actu tollunt votum, quod est unica causa et radix impedimenti, utique etiam tollere possunt et dispensando tol-

lant ipsum impedimentum, eo quod, ut jam dictum est n. 3, cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, De appellat.

(19. Super impedimento tamen petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium habita cum aliqua vel aliquo sui conjugis consanguinea vel consanguineo in primo vel secundo gradu, probabilius est non posse dispensare, nisi habeant ad hoc specialem commissionem et licentiam a suis superioribus majoribus, puta generalibus, provincialibus et hujusmodi; Rodriguez, to. I, *Qq. regul.*, qu. 63, art. 1; Portel., in *Dub. regul.* verb. *Confessar.*, n. 23; Henrion, disp. 4, *De voto*, qu. 6, n. 68; Peyrin., to. II, qu. 1, c. 4, § 4, n. 76; Felix Potestas, t. I, part. IV, c. 11 *De sacram. matrimon.*, n. 4303; Murga et alii satis communiter sustinentes nequidem superiores locales dispensare posse ad petendum debitum, nisi habeant specialem commissionem seu licentiam a provinciali vel generali. Et ratio est quia in memoratis privilegiis expresse requiritur ut confessarii ad hoc specialiter deputentur seu specialem commissionem et licentiam a provinciali habeant, ut patet legenti verba privilegiorum: « Privilegia autem non plus operantur quam verbis expriment, » juxta commune axioma DD. arg. cap. *Porro* 7, De privilegiis, ibi: « Quod totum in inspectione privilegiorum suorum plenius advertere potest, et secundum quod inveneris ita observes. » Et cap. *Recepimus* 8, eod. tit. ibi: « Inspicienda sunt ergo privilegia, et ipsorum tenor est diligentius attendendus. »

(20. Non desunt tamen doctores magni nominis qui expresse tenent posse confessarios regulares, etiam sine speciali commissione et licentia provincialis vel generalis, dispensare super impedimento petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium habita cum aliqua vel aliquo sui conjugis consanguinea, vel consanguineo in primo vel secundo gradu. Ita Diana, part. V, tract. 13, resol. 46, citans etiam Cælestinum in *Compend. theolog. moral.*, tract. 8, c. 15; eadem docet Anton. a Spiritu sancto, in *Director. reg.*, part. I, tract. 2, disp. 1, sect. 2, § 3, n. 112, citans Leand. Martin. a S. Joseph, Bordon. et alios dicentes quod, licet Eugenius IV et S. Pius V concesserint privilegium cum clausula, ut confessarii regulares pro eo practicando specialem debeant habere commissionem et licentiam provincialis, tamen postea pontifices successores idem privilegium aliis regularibus communicaverint sine simili restrictiva. Et expresse sustinet Reiffenstuel, lib. IV, *Declar. in Append. de dispensat. super impedimentis*, n. 577 cum sequentibus, adducens privilegium bullatum concessum PP. Augustiniani a Leone X quod cum his qui in primo affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit neque judicium productum dispensare valeant, ut de novo contrabant et in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima. Ita tenor

privilegii prout refertur ex bulla d. Leonis X a Richardo Rossensi episcopo in suo libello de causa matrimonii regis Angliæ, a quo rege in odium fidei catholicæ fuit occisus, et a Cassaing., *De privilegiis regul.*, tract. 5, c. 3, propos. 3; a Vera Cruz, II p. *Speculi aurei*, art. 27, vers. *Et hoc confirmavi expresse*, et ab aliis. (21. Cum enim, ut dicit Reiffenstuel, l. c., n. 579, vi dicti privilegii ab ipso allegati, l. c., n. 543, possint confessarii regulares mendicantes legitime approbati et expositi absque ulla speciali deputatione vel licentia superioris, dispensare in foro conscientie cum conjugatis super impedimento affinitatis dirimente, ita ut matrimonium nulliter contractum revalidare in eoque permanere, debitum petere ac reddere valeant, multo magis poterunt super eodem affinitatis impedimento solam petitionem debiti impediendo dispensare juxta regulam 53 *Juris*, in 6, ibi: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, » etiam in materia privilegiorum si majus et minus sunt ejusdem ordinis, et minus in majori includatur, uti in præfata, quia potestas dispensandi super impedimento dirimente implicite etiam includit potestatem dispensandi super impedimento petendi debitum, utpote quod libere petere possunt conjuges incestuosi, statim ac sunt dispensati super impedimento affinitatis dirimente cum quo contraxerunt. Hinc dicto privilegio confessarii absque ulla speciali licentia in foro conscientie secure uti possunt, præsertim cum in dispensatione ad petendum debitum non agatur de valore sacramenti, sed tantum de honestate actus. Hactenus ad litteram Reiffenstuel.

#### ARTICULUS IV.

##### *Matrimonium quoad denuntiationes.*

##### SUMMARIUM.

1. Denuntiationes matrimonii quid sint.—2. Quid si matrimonium absque denuntiationibus contrahatur; ubi de penis contra contrahentes, nec non contra parochos: an et contra testes: ad n. 44. Vid. *Additiones Casinenses* in fine, ubi nonnulla ad rem.—12. Denuntiationes debent fieri tribus diebus festis continuis intra missarum solemnias, nec possunt fieri diebus ferialibus, etiam cum dispensatione episcopi: possunt tamen fieri in die profesto; et etiam extra Ecclesiam, et missarum solemnias, si magnus adsit populi concursus, et locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniat: et possunt etiam fieri diebus festis dum cantantur vespere: alia ad rem ad n. 21.—22. Denuntiationes matrimoniales possunt fieri, eo tempore quo nuptiæ prohibentur.—23. Vicarius generalis non potest impedire, ne parochus faciat denuntiationes absque sua licentia.—25. A quonam parochus sint faciendæ denuntiationes, et quid amplius in hac re notandum, vid. ad n. 28.—29. Regulares non possunt publicare denuntiationes in missarum solemnias.—30. Quando denuntiationes regulari possunt, et quibus hæc competat facultas: insuper de justis causis ad hoc ad n. 64.—65. De obligatione revelandi impedimenta quæ intercedere possunt in hoc, vel illo matrimonio contrahendo ad n. 68.—Alia ad rem ad n. 72.—Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 90.

(1. Denuntiationes matrimoniales sunt pro-



clamationes, seu notificationes publicæ de matrimonio duorum inter se contrahendo, in ecclesia coram populo congregato faciendæ, ad hoc, ut, si quis aliquod dirimens aut impediens impedimentum inter contrahere volentes sciat, possit adhuc in tempore manifestare. Est in re communis: arg. cap. *Cum inhibitio* 3, De clandestina desponsal., et concil. Trident., sess. xxiv, *De reformat. matrim.*, cap. 1. (2. Si matrimonium contrahatur sine legitima dispensatione, absque præviis denuntiationibus, parochus, et contrahentes, sicuti et testes dolose assistentes peccant mortaliter: arg. c. *Cum inhibitio* 3, De clandestin. despons., § 1, ibi: « Statuimus ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per ecclesiæ presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito, ut citra illum, qui voluerit, vel valuerit, legitimum impedimentum apponatur. » Et concil. Trid., sess. xxiv *De reformat. matrim.*, cap. 1, ibi: « Sacri Lateranensis concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhærendo, præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochus, tribus continuis diebus festiuis inter missarum solemnium publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur. » Quæ leges, ut vides, graviter obligant, et consequenter a contemnentibus ipsas graviter peccatur, ut cum communi docent Sanchez, lib. iii, disp. 5, n. 6; Navarrus, in *Manual.*, cap. 16, n. 36; Layman., lib. v, tract. 10, part. ii, cap. 4, n. 9; Pignatell., tom. IV, consult. 147; Monacelli, tom. III, tit. 2, form. 5, n. 2 et sequent; Reiffenstuel., lib. iv *Decret.*, tit. 3, n. 4; et cum plurimis aliis a se citatis, Barbosa, *De offic. episc.*, part. ii, allegat. 32, n. 2; card. de Luca, *De matrim.*, disc. 3, n. 7.

(3. Hinc graves pœnæ infliguntur omittentibus culpabiliter tales denuntiationes, ut patet in dict. c. *Cum inhibitio*, § *Si quis*, et § *Sane*; et in concil. Trident., dict. sess. xxiv, *De reformat. matrim.*, cap. 1. Pœnæ autem tam graves non possunt infligi ob solum peccatum veniale, cum pœna debeat correspondere delicto; arg. cap. *Felicis* 5, De pœnis in 6, § *Illud*, ibi: « Judex in talem, pœnam metiatur ex culpa, ut secundum quod excessus exegerit, vindicta procedat. » Pœnæ igitur determinatæ contra contrahentes sine denuntiationibus, sunt istæ. (4. Prima, quod si sine denuntiationibus cum impedimento dirimente contrahunt, proles procreatæ sint illegitimæ, etiamsi dicant se impedimentum ignorasse, cit. cap. *Cum inhibitio*, § *Si quis*, ibi: « Si quis vero hujusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumperit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione susceptæ prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. » (5. Secunda pœna est, quod eis sit adempta spes impetrandæ dispensa-

tionis super tali impedimento. Concil. Trident., sess. xxiv, *De reformat. matrim.*, cap. 5, ibi: « Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subijciatur pœnis (scilicet separetur, et spe dispensationis consequendæ careat) non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. » (6. Tertia pœna est, quod præsumptibus contrahere matrimonium, omissis etiam in gradu permissis denuntiationibus, condigna pœnitentia injungatur; cit. c. *Cum inhibitio* 3, § *Sane*, ibi: « Sed his, qui taliter præsumperint etiam in gradu concessio copulari condigna pœnitentia injungatur. » Quæ pœnitentia cum ibi non sit præscripta, debet arbitrio judicis irrogari; arg. cap. *De causis*, De officio delegat. Sacra congreg. Concil. teste Sello, in *Select. canon.*, cap. 21, n. 10; Pignatell., tom. IV, consult. 147; n. 17, censuit debere his taliter contrahentibus imponi pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, et nullo modo ab illo, nisi publica pœnitentia peracta, esse absolvendos.

(7. Pœna determinata in jure contra parochos præsumentes interesse matrimonii, omissis denuntiationibus, vel contemnentibus prohibere similia clandestina matrimonia, est suspensio ab officio per triennium; et etiam gravior pœna arbitrio judicis inferenda, si culpæ qualitas exegerit; cit. cap. *Cum inhibitio*, § *Sane*, ibi: « Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumperit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas exegerit. » concordat concil. Trident., cit. sess. xxiv, *De reformat. matrim.*, c. 1. (8. Hæc autem pœna suspensionis non est latæ, sed ferendæ sententiæ: ut clare indicat verbum illud in textu: *Suspendatur*. Sic communis. (9. Contra testes dolose talibus clandestinis matrimoniis præsentiam præstantes, licet nulla determinata pœna sit a jure imposita, possunt tamen ab ordinariis pœna arbitraria puniri, ut cum multis a se citatis tenet Pignatell., tom. IV, consult. 147, num. 18; Monacell., tom. III, tit. 2, form. 5, n. 4, et sic censuit sacra congreg., die 10 Februarii 1629 in qua propositis sequentibus dubiis.

(10. 1. An episcopus possit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum.

2. An eos, qui contrahunt coram parochus ex causa justa dissentiente?

3. An eos, qui contrahunt, omissis denuntiationibus?

4. An possit punire testes intervenientes in prædictis casibus?

5. An possit in eisdem casibus punire pœnis pecuniariis, locis tamen piis applicandis; sacr. congreg. etc.

Ad 1, 2 et 3, respondit episcopum posse.

Ad 4, posse, quatenus testes sint in dolo.

Ad 5, pariter respondit posse.

(11. Et eadem sacra congregat. Concilii in *Boven.*, 28 Januarii 1690, respondit quod episcopus contra eos, qui parochum dolose compulsus adesse curarent, et matrimonium sine denuntiationibus contrahere præsumerent, potuisset in synodo, in subsidium pœnæ pecuniariæ, (si ista esset inexigibilis), imponere etiam pœnam excommunicationis, juxta quintum decretum concilii provincialis Mediolan. quod admittit cardin. de Luca *De matrim.*, disc. 2, num. 7, vers. *Opponebatur*; Pignatell., tom. IV, cit. consul. 147, num. 17; Monacell., t. III, tit. 2, formul. 5, num. 4.

(12. Denuntiationes debent fieri tribus diebus festiuis continuis inter missarum solemnium, textu expresso in concil. Trident., loc. cit., ibi: « Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochus tribus continuis diebus festiuis, inter missarum solemnium publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. » (13. Præfati tres dies festivi pro denuntiationibus matrimonialibus non debent sibi immediate succedere, uti succedunt festa paschalia, pentecostalia et natalitia, sed inter unam et alteram denuntiationem unus saltem, vel duo dies interponi debent, ut populus sufficiens habeat apponendi, aut impedimenta detegendi tempus, qui est finis legis et sic fuit statutum in conc. Coloniensi III, tit. *Censur.*, c. 32, ibi: *Tribus diebus festis a se invicem distantibus*; et similiter in *Moguntino* IV, cap. 38, et ita tenent Vincencius de Justis, c. 19, *De matrim. clandestino*, num. 197; Reginald., l. xxxi, num. 225; Coninch., disp. 28, num. 47; Aloys. Riccius, in *Praxi rerum fori Eccles.*, resolut. 222, num. 4, et cum aliis Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 32, n. 12, et supra Trid., sess. xxiv, *De reformat. matrim.*, cap. 1, n. 19. (14. Parochus non peccat mortaliter, si uno vel altero die festo omittat denuntiationes, dummodo inter unam et alteram multos dies festos non interponat; nam si multos dies festos interponeret, peccaret mortaliter, quia faceret contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi et ob magnum temporis intervallum, seu moram fieri posset, ut parochiani tardiores evaderent ad deferenda impedimenta et interim obliviscerentur præcedentium denuntiationem; Reginald., lib. xxxi, num. 226; Sanchez, disput. 6, cap. 8; Coninch., disp. 27, dub. 5, num. 46, et cum variis Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, d. allegat. 32, num. 12. (15. Qui intra duos menses post denuntiationes factas matrimonium non contraxit, non potest illud inire, nisi aliæ denuntiationes, vel saltem una, aut duæ arbitrio episcopi repetantur, et sic decisum fuisse a sacra congregatione referunt Bellarm. et Farinac., ad c. 1 sess. xxiv concil. Trid., *De reformat. matr.*, teste Panimol., part. iii, dec. 173, annot. 1, num. 28, quamvis alii dicant decisum fuisse pro termino quatuor mensium. Et de facto in Rituali Romano præscribitur terminus

duorum mensium, ita ut, nisi infra dictum tempus matrimonium celebratum fuerit, sint denuntiationes repetendæ, cui tutius est inhære, ut recte dicit Corrad. in *Prax. dispens. apostol.*, lib. vii, cap. 7, num. 22. (16. Denuntiationes, quando omittuntur, debent infra octo dies fieri a die contracti matrimonii et interim non debet matrimonium consummari; sic decisum fuisse a sacra congregatione referunt Barb., l. cit., num. 55, et de Justis l. c., n. 199; Chamerata et alii.

(17. Denuntiationes non possunt fieri diebus ferialibus, etiam cum dispensatione episcopi; sic decisum fuisse a sacra Congr. refert. *Praxis Neapolit.*, cap. 26, num. 10, quam refert Riccius in *Praxi fori Ecclesiastici*, resolut. 224, n. 3, in nova impress.; et Barbosa, loc. cit., num. 14. Episcopus enim non potest dispensare super conciliari dispositione, cum inferior non possit se ingerere in lege superioris; c. *Cum inferior*, De majorit. et obedien. (18. Possunt tamen fieri in die profesto; et quando ingens populi multitudo ad Ecclesiam accedit, ut contingere solet in concionibus, processionibus, litanis, cum concilii fini hoc modo satisfiat ratione magni populi concursus; qui autem satisfacit fini et intentioni legis, satisfacit legi ipsi; arg. c. *Humanæ aures* 11, caus. 24, q. 5, ibi: « Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, » et l. *Scire* 16, ff. *De legib.*, ibi: « Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem. » Sic Sanchez, lib. iii, disp. 7, n. 9; Reginald., lib. xxxi, n. 227; Guttier., *De matrim.*, c. 56, n. 8; Layman., l. iii, tr. 10, cap. 4, n. 9, et alii passim cum Barbosa, loc. cit., n. 15. (19. Imo denuntiationes valide fieri possunt etiam extra Ecclesiam et missarum solemnium, si magnus adsit populi concursus et locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniat; sic doctores mox citat. propter eandem rationem.

(20. Denuntiationes matrimoniales ex justa causa possunt etiam fieri diebus festiuis dum cantantur Vesperæ; sacr. congreg. Concil. in *Aventonen.*, 25 Octobr. 1586, lib. iv *Decreti*, fol. 188. (21. Denuntiationes matrimoniales an fieri debeant in missa parochiali, vel conventuali, in illa ecclesia, quæ est simul parochialis et collegiata relinquatur parochi arbitrio, quando pro utraque est populi concursus; sac. Congr. Concil. in *Navarien.* 1 Julii 1724. (22. Denuntiationes matrimoniales possunt fieri eo tempore, quo nuptiæ prohibentur: sacra congreg. Episcop. 18 Decembr. 1589.

(23. Vicarius generalis non potest impedire, ne parochus faciat matrimonii denuntiationes absque sua licentia; sacra Congr. Concil. 27 Maii 1627.

(24. Denuntiationes faciendæ sunt a proprio contrahentium parochus, vel ab alio substituto ab ipso parochus, textu expresso in concil. Trident., loc. cit., ibi: *A proprio*



contrahentium parochia, et sic communis doctorum (28).

(25. Si sponsi sint ex diversis parochiis, debent fieri denuntiationes in utraque parochia. Sic decisum fuisse a sac. congr. Conc., refert Sanch., lib. III, disp. 6, n. 4, et Bosco, p. 5, disp. 21, sect. 10, ex Farinac. his verbis: « Quanto matrimonium contrahitur inter duos de diversis parochiis, debent in ambabus fieri denuntiationes. » Et sic etiam statuitur in Rituali Romano de sacramento matrimonii, ibi: « Si vero vir et mulier parochiæ sint diversæ, in utraque parochia fiant denuntiationes. » Si contrahentes plura habuerint domicilia, seu plures parochias, debent fieri denuntiationes in Parochia, in qua actu habitant cum vero animo ibi permanendi, ut salvetur dispositio concil. Trid. quod denuntiationes fiant a proprio contrahentium parochia, qualis est parochus, in cuius parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium intendunt contrahere, ut teste Bosco, p. 5, disp. 11, sect. 10, n. 400, declaravit sac. congr. his verbis: « Proprius parochus est in cuius parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. » (27. Ab aliis autem parochiis, in quibus habitant in ætate capaci contrahendi matrimonium, vel canonica impedimenta ad ipsum, debent referre suum proprium statum liberum legalitate illius parochiæ, et diœcesis ordinarii munitum, et exaratum ad normam instructionis a summa et universali inquisitione editæ 21 Augusti 1670, et a Clemente X confirmatæ in sua constitutione incip. *Cum alias*, seu etiam ad normam litteræ encyclicæ a sacra congregatione S. Officii directæ omnibus ordinariis sub die 1 Octobris 1699.

(28. Denuntiationes matrimonii contrahendi inter externos non sunt faciendæ a parochia sine licentia ordinarii. S. congr. Episc. et Regul. 20 Decembris 1692, et S. congr. S. Officii, in dicta Instructione sub n. 7.

(29. Denuntiationes in missarum solemnibus publicare non possunt regulares. Sic decisum fuisse a sacra congregatione Concilii referunt Lezana in *Summ. quæst. regul.*, cap. 12, n. 41, vers. ad 6., et Barbosa, in *Summ. Apostolicar. dec.*, verb. *Denuntiationes matrimoniales*, n. 5.

(30. Ex justa causa potest ordinarius remittere denuntiationes matrimoniales; concil. Trid. cit. sess. xxiv, *De reform. matrim.*, c. 1, ibi: « Nisi ordinarius ipse judicaverit ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ et iudicio S. Synodus reliquit. » (31. Tales denuntiationes potest remittere etiam vicarius generalis absque ulla speciali commissione, aut mandato; vicarius enim generalis est vere ordinarius habetque veram jurisdictionem ordinariam, et quidem eandem cum episcopo; arg. c.

(28) *Nota Romani theologi.* — Recte prorsus hic docet auctor, denuntiationes, quæ matrimonium præcedere debent, faciendas esse a proprio contrahentium parochia, juxta concilii Tridentini doctrinam, vel ab alio substituto ab eodem parochia; ubi

Romana § 1, *De appell.* in 6, juncta *Gloss.*, *ibid.*, verb. *Generaliter*, et alia *Glossa*, in c. *Licet* 2, verb. *Officiale*, *De offic. vicarii* in 6, et ideo a vicario generali non datur appellatio ad episcopum, textu expresso in c. *Non putamus* 2, *De consuetudine*, in 6, ibi: « Non putamus illam consuetudinem, quantumcunque tempore de facto servatam consonam rationi, quod ab officiali episcopi ad eundem episcopum valeat appellari: ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur. » Et sic fere communiter tenent doctores cum Barbosa, *loc. cit.*, n. 29; De Justis *loc. cit.* n. 292; Sanchez, *l. c.*, n. 10, plurimos alios citantibus. (32. Sic etiam dispensare possunt in denuntiationibus matrimonialibus omnes alii prælati ecclesiastici, seu abbates qui jurisdictionem quasi episcopalem in aliquo territorio obtinent sine ulla subjectione ad aliquem diœcesanum: isti enim sunt vere ordinarii; l. *More majorum*, ff. *de jurisd. omn. jud. c. Ordinarii* 3, *De offic. ordinariar.* in 6, juncta *Glossa*, *ibid.*, verb. *Locorum*. Omnis autem ordinarius habet talem potestatem, quia cum Tridentinum d. sess. xxiv, *De reform. matr.* c. 1, indistincte loquatur de ordinario, de eo indistincte venit intelligendum; argum. cap. *Quia circa* 22, *De privileg.* Sic Sanchez, lib. III, disp. 7, n. 4; Navarrus, lib. IV, *Consil. de clandest. in dispen.*, consil. 2; Reiffenstuel, l. IV *Decret.* tit. 5, n. 34., *De Justis*, *loc. cit.*, n. 207, et sequent., cum plurimis aliis; Barbosa, *loc. cit.*, n. 30 et sequent. (33. Et quamvis Rebellius, Armend., Garcias, Hurtado, et alii referant declaratum fuisse contrarium a sacra congregatione, tamen ab ipsa declaratione recessum fuisse patet ex alia resolutione sacre congregat. Concilii a sanctissimo approbata et emanata ut sequitur. *In una nullius, seu Baren.*, die 23 Martii 1624. « Sacra congreg. censuit referendum S. D. N. qui Sanctissimus, ejusdem sacre congregationis audita sententia, declaravit præfatos inferiores nullius diœcesis proprium territorium et jurisdictionem quasi episcopalem habentes, utique posse legitimis ex causis denuntiationes matrimoniales remittere. » Sic refert Panimoll. part. III, decis. 183, ad notat. 1, n. 3. Imo contrariam declarationem non fuisse usu receptam, utpote quia ubique prælati habentes jura episcopalia utantur facultate remittendi denuntiationes ex rationabili causa, subdit Bossius, *De matrim.*, cap. 7, § 16, n. 42, vers. *Sed illa declaratio*, et ipse Panimoll., *loc. cit.*, n. 5.

(34. Episcopus, et quilibet alius ordinarius, in cuius diœcesi celebrandum est matrimonium, potest cum utroque sponso dispensare, licet unus sit alterius diœcesis, dummodo saltem ordinarius alterius con-

advertendum est substitutum a parochia ad denuntiationes faciendas, sacerdotem esse debere, neque sufficere parochum quidem substitutum, sed diaconum; id siquidem contrarium foret determinationi concilii Tridentini.

trahentis testetur in sua diœcesi nullum subesse impedimentum; remissio enim ordinarii, in cuius diœcesi matrimonium est contrahendum, nunquam sufficit, nisi ordinarius alterius contrahentis, vel ipse etiam remittat, vel saltem textetur, in sua diœcesi nullum subesse impedimentum, ut censuit sacra congregatio Concil. in una *Vicen.*, prout etiam statutum fuit in concilio Mecliniensi Romæ approbato de anno 1570, in tit. *De sponsal.*, cap. 3 et seq., de quo Boss., *De matrim.*, cap. 7, § 18 et 19. Sic refert et tenet Panimoll., *loc. cit.*, n. 2. (35. Archiepiscopus non potest remittere denuntiationes matrimoniales in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi quando coram eo pendet lis in gradu appellationis super facto matrimonii, vel ex gravamine non remittendi ex causa denuntiationis, et in executione suæ sententiæ: ipse enim archiepiscopus non est ordinarius in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi in causis sibi devolutis per appellationem, et in casibus expressis in cap. *Pastoralis*, *De offic. ordinariar.*, vel dum actu diœceses visitet suffraganeorum, ejusque subditorum; Segura in *Director. Jud.*, 2p. 2, cap. 15, n. 50; Boss., *De matrim.*, cap. 4, § 19, n. 51, et cap. 7, § 19, per totum; Spin., *De testam.*, glos. 15, n. 38 et 39; Panimoll., *loc. cit.* n. 18 et 19; Barbosa, *loc. cit.* n. 125; Sanchez, Pontius et alii passim. (36. Episcopus, seu alius ordinarius potest alteri delegare facultatem dispensandi in denuntiationibus; potest enim hoc facere omnis habens ordinariam jurisdictionem; eo vel maxime, quod, quando fuit ordinariis concessa potestas dispensandi in denuntiationibus, non fuit electa industria personæ, quando delegatio fit personæ incognitæ et indeterminatæ, ut, quando fit prælati præsentibus et futuris, sicut accidit in facultate concessa ordinariis ad dispensandum in denuntiationibus; sic Sanchez lib. III, disp. 7, n. 10; Reginald., lib. xxxi, n. 235; Coninch., dis. 27, n. 35, conclus. 3, et cum plurimis aliis, Barbosa, *loc. cit.*, n. 36. (37. Vicarius generalis, quamvis non possit facultatem dispensandi in denuntiationibus delegare generaliter, ex quo non possit constituere alium vicarium generalem; cap. *Clericos*, *De offic. vicarii*, potest tamen unam vel alteram causam delegare; Barbosa, *loc. cit.*, n. 37; Bonacina, *De matrim.*, q. 2, punct. 6, n. 7, cum Sanch., Guttier., Reginald. et aliis.

(38. Ad hoc, ut episcopus et quilibet alius ordinarius licite dispenset in denuntiationibus, requiritur justa et rationabilis causa; sine enim justa et rationabili causa dispensatio non est dispensatio, sed dissipatio, ut recte dicit S. Bernardus lib. III *De consid.*, paulo ante finem, allegans verba divi Pauli *I Ad Corinth.*, cap. IV: « Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: Utilitas, dico, communis, non propria; nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio

est. » Unde ordinarius, remittendo dictas denuntiationes sine justa et rationabili causa, peccaret mortaliter, quia ageret contra legem in materia gravi; cum enim concilium cit. sess. xxiv, *De reform. matrim.*, cap. 1, hoc negotium relinquat prudentiæ et iudicio ordinarii, ita ut, si expedire judicaverit, dispenset, intelligi debet ut ejusmodi arbitrium sit prudentiale et regulatum; Sanchez, lib. III, disput. 8, n. 1; Trullenck., tom. III, lib. VII, cap. 6, dub. 9, n. 5; De Justis, lib. II, cap. 19, *De matrim. clandest.*, n. 132; Reiffenstuel, lib. IV *Decret.*, tit. 3, n. 28, et cum aliis Barbosa *super Trid.*, sess. xxiv, cap. 1, *De reform. matrim.*, n. 60. (40. Non tamen necesse est ut ordinarius hujusmodi causas cognoscat judicialiter, sed sufficit ut ex informationibus extrajudicialiter habitis sibi videatur justam dispensandi causam adesse, ut bene advertunt Sperell., decis. 109, n. 50; Sanchez, *loc. cit.*, n. 4; Barbosa, *loc. cit.*, n. 61; De Justis, *loc. cit.*, n. 135; Reginald., l. xxxi, cap. 32, n. 234; Riccius, Bonacina et alii. (41. Episcopus seu ordinarius non solum potest tunc dispensationem concedere, dum est in sua diœcesi, sed etiam dum est extra illam, quia hujusmodi dispensatio non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ; Sanchez, lib. III, disp. 8, n. 6, vers. *Secundo infertur*; De Justis, *loc. cit.*, n. 139; Pyrr. Corrad., *Praxis dispensat. Apostolicar.*, lib. VII, cap. 7, n. 27, et alii passim. Episcopus seu ordinarius non potest, ratione hujusmodi denuntiationum, remissionis ac dispensationis, præcise imponere aliquam pecuniariam mulctam; Sanchez, lib. III, disput. 10, n. 9; Filliuc., tract. 10, part. 1, cap. 5, n. 180; Aversa, quæst. 7, sect. 2, vers. *Dumque prælati*; Boss., cap. 7, n. 105; De Justis, *loc. cit.*, n. 200, et alii. (42. Et ratio est quia concilium Tridentinum concedit quidem dispensandi facultatem, non tamen concedit ut possit ordinarius obligationem legis in aliam materiam commutare. (43. Imo, sess. xxv, cap. 18, præcipit dispensationes gratis fieri debere. Excipe tamen nisi aliquod delictum præberet justam causam dispensandi, v. gr. ob concubinatum vel deflorationem virginis, quia tunc poterit, non ratione dispensationis, sed in pœnam delicti, aliquam mulctam injungere; Sanch. et De Justis, *locis citatis*, et alii.

(44. Justæ causæ principales dispensandi in hujusmodi denuntiationibus enumerantur. *Prima* est periculum animæ, ut si duo concubinarij velint matrimonium contrahere, ut in bono statu constituentur, et periculum sit, ne interim, dum fiunt denuntiationes, carnaliter commisceantur; Sanchez, *l. c.*, n. 17; Boss., *l. cit.*, n. 93; Filliuc., *l. c.*, n. 178; De Justis, *l. c.*, n. 173. (45. *Secunda* est, si quis in mortis periculo constitutus velit concubinam ducere, sive ut securior suus transitus reddatur, sive ut proles ex ea suscepta legitima evadat; Sanchez, *loc. cit.*, n. 10, cum communi. (46. *Tertia* est, dum repentinus casus offert ratio-